

103. Officium primum hujus virtutis est, res magnas, ad quas magno sumptu opus est, efficere; quando ratio id postulat, vel suadet. Deinde hujus rei causa affectum copiosæ pecuniæ ad id necessariæ moderari, ne per illum, vel opus non audeat suscipere quando oportet, vel susceptum relinquat, vel non decore perficiat; tota enim difficultas in hujusmodi splendidis operibus suscipiendis et perficiendis, provenit ex affectu pecuniæ non mediocri, sed grandis, et ingentis summæ, quæ impendenda; hic enim affectus facit ut homini valde difficile sit tantam copiam profundere, quantum opus postulat. Itaque requiritur aliqua virtus quæ hanc difficultatem vincat; neque ad hoc sufficit *liberalitas*, quia hæc solum moderatur affectum circa mediocres et ordinarias expensas; tollitque difficultatem, quam homo in illis sentire solet, non ex affectu magnitudinis summæ, sed simpliciter ex affectu pecuniæ: at longe alia sentitur dum magnæ expensæ faciendæ; unde oportuit majorem quamdam esse virtutem, quæ id præstet in magnis, quod *liberalitas* in mediocribus: hanc *magnificentiam* vocamus. Simile cernitur in honoribus: affectum enim in magnis honoribus regit *magnanimitas*; in mediocribus virtus *ἀνώνυμος*, quam *φιλοτιμίαν* vocare possumus, hoc nomine in bonam partem accepto; vide Aristot. L. 4. Ethic. c. 4. et D. THOMAM, quæst. 129. art. 2.

104. *Petes*, Cur non simili modo ponitur duplex virtus circa voluptates corporis, altera circa maximas, altera circa mediocres?

R. Quia illa virtus, quæ affectum moderatur in maximis voluptatibus, sufficiens est ut illum moderetur etiam in mediocribus, v. g. ciborum vel venereorum; cujus ratio est, quia idem motivum, seu objectum formale in utrisque spectatur: sive enim cibi sint multum delicati, sive parum, hoc tantum agitur ut eorum usus externus sit temperatus, et interna affectio sub hac ratione in eorum usum feratur. Itaque solum opus est una virtute abstinentiæ, quæ sicut affectum et usum temperat in magnis ciborum voluptatibus, ita et in parvis. Similiter in rebus venereis moderandis idem motivum spectatur, sive magna in illis sit voluptas, sive parva: unde eadem virtus castitatis utrique moderandæ sufficit. Pari modo fortitudo, quæ maximos timores mortis temperat, etiam ad mediocres pertinet: et mansuetudo, quæ maximas iras domat, etiam mediocres regit. Istæ enim virtutes non spectant nisi unum objectum formale, sive passio magna sit, sive mediocri. Cum enim voluptates maximæ, et timores magni, et iræ magnæ omnibus sint communes; nec in his magnitudo et mediocritas diversum faciant hominis statum, sufficit una ratio honesti in quoque horum genere, quæ principaliter moderetur affectum in magnis, et secundo se extendat ad moderandum in mediocribus.

Secus vero res habet in affectu pecuniæ et honoris: magni enim honores et magnæ divitiæ sunt paucorum; unde diversum efficiunt statum, et consequenter mutant rationem decori et honesti. Hinc fit ut qui magnis honoribus sunt digni, vel magnas expensas facturi sunt, aliam rationem honesti in moderando affectu, et in usu talium honorum vel opum spectent et adhibeant, quam passim solent homines in mediocribus. Itaque alia est virtus circa magnos honores, alia circa mediocres. Confirmatur, quia magni honores pertinent ad eos tantum qui magna cogitant et moliuntur; hi enim

soli magnis honoribus sunt digni: atqui magna moliri est proprium magnanimitatis; ergo moderatio affectus circa magnos honores, et rectus eorum usus pertinet ad magnanimitatem.

Simili modo expansio magnarum opum secundum rectam rationem non solet fieri nisi ad magnifica opera externa, quæ magnos sumptus requirunt; talia autem pertinent ad magnificentiam: unde etiam ad eandem pertinet affectum in hujusmodi sumptibus regere. Longe autem aliud spectant homines ut moderentur affectum in mediocribus tum honoribus, tum sumptibus, ut per se satis constat. Non tamen negaverim, quin ex eodem motivo, quo magnæ opes vel magni honores contemnuntur, possint etiam contemni parvi. Verum quia plerumque aliud motivum respicitur, quando de magnis agitur, aliud quando de mediocribus; ideo ad usum humanum et moralem diversa virtute opus fuit. Vide D. THOM. q. 129. art. 2. ubi tamen paulo aliter hæc explicat, etsi in re non sit discrepantia.

105. Opponuntur magnificentiæ duo vitia. Alterum per excessum, quod Aristoteles vocat *βαναυσίαν*, id est, operariam et indecoram diligentiam in sumptu faciendõ; ut cum quis de industria sumptus auget supra quam res poscat, aut decorum patiat; sicut faciebat ille, qui in filii epulo natali, omnes cibos cum patinis argenteis, cum referrentur e mensa, projiciebat in Tiberim. Item qui in res parvas sumptus magnos facit, aut inconcinne splendorem et magnificentiam ostentat; sicut ille, qui scenæ præpositus substernebat histrionibus purpuram; et mercator, qui convivis ad cœnam vocatis, cum hiems esset, faciebat ignem ex cinnamomo, etc. Hos etiam *ἀπειρόκαλους* vocat Aristoteles, id est, decori inexpertos et ignaros.

Alterum per defectum, quod Aristoteles vocat *μικροπρέπειαν*, D. THOMAS *parvidentiam*, cum quis præ angustia animi, operi magno parès sumptus non exhibet: ut si templo, vel cœnobio, quod extruendum suscepit, vellet facere parietes cratitios, aut tectum stamineum, ut minus expendat. *Hic*, ut Aristoteles ait, *magna pecunia consumpta, in parva honestum omne perdet et extinguet: quidquid facturum est, procrastinans et cunctabundus efficiet, et qua ratione quam minimo sumptu id conficere possit, considerabit; et in his lamentabitur, et ingemiscet, omniaque se efficere majora quam oportet arbitrabitur.*

Hoc vitium per se non est nisi peccatum veniale; nisi forte ex voto, testamento, vel alia ratione ad opus illud magnificum, in quo perficiendo deficit, sit obstrictus.

DUBITATIO V.

QUID PATIENTIA ET LONGANIMITAS, ET DE ILLIUS GRADIBUS.

D. Thom. quæst. 136.

106. *Patientia* dupliciter, juxta D. THOMAM, accipitur. 1º. Pro virtute, quæ firmat animum adversus timores, et dolores mortis, et malorum mortem inferentium; quæ enituit maxime in martyribus: hæc est pars fortitudinis integralis, vel ipsa virtus fortitudinis inadæquate concepta; de qua supra c. 4. dub. 1. hujus libri tertii. 2º. Pro virtute, quæ in aliis malis animum

confirmet, moderando mœrores qui ex illis percipi solent; ne videlicet propter hos a præscripto rationis recedat, seu aliquid indecori agat, ut in morte parentum, filiorum, amicorum; in exilio, in damnis, in morbis, in contumeliis, aliisque id genus malis: hæc enim magnos mœrores adferre solent qui hominem sæpe ab arce rationis, et officio virtutis deturbant, et ad malum concitant; hoc modo est virtus annexa fortitudini, ut secundaria principali.

Proxima igitur hujus virtutis materia est tristitia et afflictio animi ob mala prædicta incidere solita: hanc enim vel plane comprimit, vel moderatur, ei quamdam sui similitudinem veluti formam imprimens, et ita eam temperans ut recta ratio præscribit, et virum patientem decet; nimirum, ut rationem plene sui compotem relinquat, nec virtutes alias in suis officiis impediatur. *Remota*, sunt actiones, verba, et gestus externi, quæ ita regit, ut interna moderatio in eis eluceat; ita ut per tristitiam nihil indecori foris agat, sed mala se æquo animo ferre ostendat. *Remotissima* autem, sunt ipsa mala: hæc enim dicuntur materia patientiæ, non quod patientia illis formam, seu modum virtutis imprimat; hanc enim solis affectibus internis, et actionibus externis communicat: sed quia sunt objectum et causa tristitiæ, quæ proxima patientiæ est materia. Simili modo pericula mortis dicuntur materia fortitudinis.

107. Sed notandum est, hanc moderationem posse fieri dupliciter. 1º. Ex affectu solius honestatis, quæ in illa relucet; moderari enim tristitiam, et mentem in quadam æquanimitate conservare, statumque externum corporis huic conformem reddere, per se bonum est et honestum; et hoc modo patientia est virtus specialis, a cæteris distincta. 2º. Ex affectu alicujus peculiaris virtutis, quæ per tristitiam et afflictiones oppugnatur; et hoc modo, quod ad internum affectum actuale vel habituale attinet, non est virtus distincta a cæteris; nam quævis virtus sicut amat honestum sui generis, ita ex vi hujus amoris resistit iis, quæ illi directe vel indirecte repugnant, animumque adversus ea firmat: hoc modo passim accipitur in Scripturis, et Patrum scriptis, et in sermone vulgari; quicumque enim affectu alicujus virtutis moderate fert afflictiones, patiens dicitur.

Hoc modo definitur a D. AUGUSTINO L. 83. QQ. q. 31. ex Cicerone, cum ait: *Patientia est, honestatis aut utilitatis causa, rerum arduarum ac difficilem voluntaria ac diuturna perpessio*; ubi illud *honestatis*, intellige generatim de omni honesto, quod propter se expetitur; *utilitatis*, de eo, quod ad aliud honestum utile est, ut si patiaris pecuniæ consequendæ causa, quam solvas creditori: nam solius utilitatis causa, si utile ab honesto distinctum sit, pati, non est virtutis patientiæ. *Voluntaria*, non quod semper sit in potestate non pati; sed quia in potestate est malle pati, quam ab officio rationis desciscere, quam improbe vel indecore agere. *Diuturna*, intellige vel in re vel in animi præparatione; debet enim patiens esse animo comparatus ad patiendum longo tempore, si opus sit. Eodem pertinet descriptio D. AUGUSTINI, quam habet L. de Patientia, quem ex Indiculo constat esse ipsius, etsi Erasmus reclamet, c. 2. *Patientia hominis est, qua mala æquo animo toleramus, ne animo iniquo bona deseramus, per quæ ad meliora perveniamus.*

Ex his perspicuum est, quam patientia sit necessaria; tam enim est necessaria ad salutem, quam est necessarium, hominem per hujus vitæ mala, quæ vel nostra mortalitas invehit, vel ab aliis irrogantur, a bono non abstrahi, aut ad malum non impelli; et quia hujusmodi mala maxime oppugnant Christianos ut rectam religionem deserant, aut juxta ejus præscriptum non vivant; ideo his maxime necessaria est, juxta illud Domini: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*; quo significatur, salutem animæ non nisi per patientiam acquiri posse; *possidere* phrasi Hebræa accipitur pro acquirere; sicut ibi, *possedi hominem per Deum*, Genesis 4., et *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, Proverb. 8. Parum apte hunc locum explicat Martinus de perfecto animæ dominio per patientiam; non tamen refert utrum hæc tolerantia malorum affectu solius honestatis, quæ proprie ad hanc virtutem pertinet, an illius, quæ oppugnatur, an utriusque fiat; nihil enim horum peculiariter est præceptum: expedit tamen quamplurimas rationes sibi propositas habere, ob quas mala fortiter sint perferenda; efficacius enim multa bona, quam unum movent.

108. *Longanimitas*, quam Græci *μακροθυμίαν* vocant, potius est pars patientiæ, vel ipsa virtus patientiæ inadæquate concepta, ut ex D. THOMA art. 5. colligitur, quam virtus distincta: nam inter mala, quæ patientia æquanimiter tolerat, unum est molestia, quæ percipitur ex rei expectatæ dilatione; hujus autem mali, seu incommodi tolerantia vocatur longanimitas. Itaque *longanimitas* nihil est aliud, quam patientia, ut circa tale malum versatur, spectata. Sic Deus longanimis dicitur, quatenus dum nos ad pœnitentiam invitat et expectat, moras nostras et tergiversationes tolerat, quæ illi quodammodo molestiam adferunt.

109. Vitia patientiæ adversa, sunt *insensibilitas* et *impatientia*. Illud per defectum: non enim est laudabile, nec naturæ humanæ consentaneum, nullis malis neque tuis, neque proximorum tangi; id enim signum est vel brutæ stoliditatis, vel inhumanæ duritiei: nec congruit amicitiae et vitæ politicæ. Hoc vero per excessum: ut cum quis nimium dolet, aut etiam ex dolore a recto discedit. Quicumque enim ob dolorem vel mœrorem, ut illum vitet, pellat, aut soletur, animoque suo sic affecto indulgeat, aliquid mali facit, *impatiens* est; justum dolendi modum, quem patientia præscribit, exsuperans. *Impatiens* etiam dici solet, qui ira vel indignatione excedit, præsertim si hunc motum animi sui foris ostendat; nam ira etiam tristitiam et afflictionem includit: e contrario, qui non facile irascitur, patiens; quamvis hic potius mansuetus sit dicendus, alter iracundus.

Est autem hoc vitium per se peccatum veniale tantum; quia solum est excessus in dolore, vel iracundiæ motu, signo externo expressus; potest tamen esse mortiferum vel ratione scandali, vel ratione mali, quod quis ex impatientia facit. *Insensibilitas* seu durities raro est peccatum mortale; certe per se non potest esse nisi veniale.

110. Quod ad gradus patientiæ attinet, variis modis assignari possunt. 1º. Ex parte malorum quæ quis patitur: et sic primus gradus est, cum patientiam retinemus in damnis fortunarum. Secundus, in detrimentis

famæ. Tertius, in detrimentis corporis et vitæ; quo pertinet patientia Job, et sanctorum Martyrum, et in primis Christi Domini.

2º. Ex parte modi perferendi: sic primus gradus est tolerare sine murmuratione. Secundus, sine lamentatione et querimoniis apud alios. Tertius, cum gaudio; sicut Apostoli, qui *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*. Ad hunc hortatur Apostolus Jacobus capite 1. suæ epistolæ; *Omne gaudium existimate, fratres, etc.*

3º. Ex parte causæ ipsius mali, quod patimur. Hoc modo primus gradus est, si patienter feramus mala, quæ pro culpis nostris, sive a Deo sive ab hominibus irrogantur. Secundus, si absque nostra culpa ab inimicis, vel aliis, qui nobis obstricti non sunt, illa patiamur. Tertius, si inferantur ab iis, qui multis beneficiis a nobis affecti fuerunt: illa enim ingratitude maxime auget injuriæ atrocitatem, et provocat iram; unde difficillimum est erga tales retinere patientiam. Quartus est, hujusmodi injurias non solum æquo, sed etiam libenti animo perferre, et etiam desiderare; ut sic aliquo modo Dominum nostrum imitemur, qui omnia injuriarum et afflictionum generâ ab iis quos summis beneficiis affecerat, patientissime sustinuit, et pro iisdem etiam Patrem rogavit.

DUBITATIO VI.

DE PERSEVERANTIA, ET CONSTANTIA, VITIISQUE OPPOSITIS.

D. Thom. quest. 137. 138.

411. *Perseverantia* dupliciter accipitur. 1º. Pro continuatione justitiæ usque ad mortem; et sic non est peculiaris virtus, sed conditio quædam, seu circumstantia virtutis, in eo consistens, quod justitia adhaereat homini usque ad mortem. Hanc perseverantiam nemo habet complete et in actu secundo, nisi in termino vitæ: estque magnum illud donum proprium electorum, de quo D. AUGUSTINUS L. de bono Perseverantiæ.

2º. Pro proposito perseverandi in bono opere, quamdiu ratio dictabit; hoc autem dupliciter fieri potest. *Primo*, ex affectu peculiaris honestatis, quæ in illo opere spectari potest; ut cum quis vult perseverare in jejuniis Quadragesimæ usque ad finem, vel ut carnem domes, vel ut pro peccatis satisfaciat, vel ut obediat Ecclesiæ, etc.; aut in aliquo alio pio exercitio, bonaque consuetudine, ob peculiare bonum illius; hac ratione etiam non est una aliqua virtus, sed omnis; nam omnis virtus ex affectu proprii boni potest velle operis sui continuationem et durationem usque ad finem: omnis autem volitio, quæ ex affectu peculiaris boni alicujus virtutis oritur, ad illam virtutem pertinet: electio enim et intentio ejusdem sunt virtutis. *Secundo*, præcise ex affectu ipsius perseverantiæ et continuationis; nam usque ad finem constitutum in bono opere perseverare et continuare, per se honestum est, peculiaremque laudem meretur: hoc modo *perseverantia* est virtus peculiaris, de qua hoc loco D. THOMAS; sicut enim *magnanimitas* est peculiaris virtus, quia in opere virtutis peculiarem rationem honesti intendit et efficit, (nimirum ut magnum sit, et animo generoso congruens),

et impedimentum ex honoris immodico affectu proveniens tollit: ita *perseverantia*, cum in opere virtutis intendat, et efficiat peculiarem rationem honesti, nimirum diurnitatem et continuationem usque in finem; vincatque tædium et molestiam, quæ ex diurnitate obrepere solet, est virtus peculiaris.

412. Hujus igitur virtutis principalis materia est opus bonum cujusvis virtutis; forma, quam huic inserere intendit, est illius continuatio usque in finem, quem ratio præscripserit; sive ille sit finis vitæ, sive certi negotii, vel temporis præfiniti. *Continuationem* voco, non qua opus nunquam interpelletur (hæc enim homini ad longum tempus non est possibilis) sed qua suis temporibus repetatur, et non omittatur, dum statæ vices recurrunt.

Secundaria autem materia est molestia animi, quæ ex illa diurnitate rei laboriosæ et difficilis capitur: hanc enim moderate fert et vincit hæc virtus; sicut patientia vincit molestias aliorum malorum. Dixi, *materiam secundariam*, quia præcipuum officium hujus virtutis cernitur circa opera bona; unde et nomen ab his contraxit, non a molestiis, quas sustinet: secus in patientia, cujus cum præcipuum munus sit mala æquanimiter ferre, ab illorum perpeffione etiam nomen sortitur. Quæ tamen hic Martinus apud Cajetanum contra D. THOMAM disputat, parvi sunt momenti, sicut et alia pleraque ejusdem auctoris, cum D. THOMAM oppugnat: est enim in illis ut plurimum vel mera logomachia, vel aliena intelligentia.

413. *Constantia* parum a perseverantia differre videtur, in eaque includi; quid enim est aliud *perseverare*, quam usque in finem *constantem esse*, sibi in bono constare? nisi forte quis ita velit distinguere, quod *constantia* vincat difficultatem continuandi boni, quæ provenit ex naturali quadam animi mutabilitate, et impedimentis extrinsecis incidentibus: ut sunt blanditiæ, promissiones, displicendi timor, placendi cupiditas, etc. *perseverantia* vero difficultatem, quæ ex diurnitate rei molestæ et laboriosæ oritur. Sed hæc distinctio neque ab auctoribus, neque vulgo servari solet; estque in re morali satis minuta: nam proprie ille etiam constans dicitur, qui in re ardua usque ad finem perstat; et perseverans, qui ab externis impedimentis non vincitur. Distinguuntur tamen ratione et conceptibus: ratio enim *constantia* in eo sita est, quod homo sibi in bono proposito constet, sibi que similis permaneat contra omnes difficultates occurrentes, idque quamdiu ratio dictabit. *Perseverantia* vero in eo, quod in conceptis pergat, eaque usque ad finem continuet.

414. His virtutibus duo extrema adversantur, *pertinacia* et *mollities* animi, vel *inconstantia*: hæc per defectum, illa per excessum; qui enim perseverat et firmus manet in proposito sive sentiendi, sive agendi ubi non oportet, vel plus quam oportet, *pertinax* dicitur: Aristoteli 7. Ethic. c. 9. *συστοργόμων*, quod fortius æquo suæ sententiæ inhæreat, et *ἰδιογνώμων*, quia suæ sententiæ amantior: estque hoc veniale vel mortale, pro materiæ gravitate; ut cum quis non vult mutare fidem aut religionem falsam, quam semel suscepit, ne videatur inconstans; cum Princeps non vult revocare legem, quam usus deprehendit perniciosam, etc.

Qui vero facile mutat propositum, vocatur *inconstans*; si id faciat tædio diuturnitatis, vel similis incommodi, *mollis*. Est peccatum mortiferum, si tenebaris ex voto, vel præcepto, et materia sit gravis; ut cum quis deserit Institutum religiosum, etc. : si vero sit levis, veniale. Si nullo modo tenebaris, non erit peccatum mutare propositum, et relinquere primum exercitium : nisi forte id fiat ex inordinata aliqua passione; tunc enim inordinate a bono proposito desistis; ut recte Cajetanus verbo *Inconstantia* : de quo vide Gregorium homilia 3. in Ezechielem, sub finem.

LIBER TERTIUS.

DE TEMPERANTIA.

CAPUT I.

DE TEMPERANTIA, EJUSQUE PARTIBUS IN GENERE.

DUBITATIO I.

QUID SIT TEMPERANTIA, ET QUOD EJUS OFFICIUM.

D. Thom. quest. 141.

115. Temperantia, græce *σωφροσύνη*, dupliciter accipitur, ut notat D. THOMAS art. 2. in 0. 1^o. Secundum amplitudinem suæ significationis, pro virtute, quæ refrænât affectum ab his, quæ ipsum contra præscriptum rationis alliciunt. *Temperantia* enim insinuat quamdam *temperiem* et moderationem, quam ratio actionibus et affectibus humanis imponit; quo modo non est virtus specialis; nam omnis virtus moralis id præstat. Justitia enim retrahit affectum a furtis, a rapinis, ab iniquis contractibus, et similibus, quæ ipsum ratione lucri ad se trahunt : fortitudo, a fuga : magnanimitas, a sectandis rebus caducis, et honoribus humanis, etc.

2^o. Stricte, et *κατ' ἐξοχήν*, pro virtute, quæ refrænât appetitum in his quæ maxime alliciunt : et sic est virtus magis specialis, et cardinalis, de qua hic agendum.

116. Hujus virtutis materia sunt delectationes corporales, non omnes, sed quæ tactu percipiuntur ex esculentis, et poculentis, et rebus venereis. Ubi notandum est ex Aristotele 3. Ethicorum c. 10. quasdam delectationes esse *spiritales*, quasdam *corporales*. *Spirituales* dicuntur quæ sequuntur operationem mentis, vel phantasie, ut sunt omnes, quæ ex contemplatione rerum divinarum, vel naturalium, vel cujusvis veritatis nascuntur : item ex honoribus, et fabularum narratione etc. Circa hujusmodi non est proprie temperantia : nemo enim dicitur temperans, aut intemperans, quod hujusmodi oblectationes moderate, vel præter modum quærat, sed vel curiosus, vel ambitiosus, vel alio nomine; improprie tamen et metaphoricè possunt dici intemperantes, qui in rebus spiritualibus sensibilem quamdam suavitatem nimium sectantur, quasi hæc sit præcipuus illius fructus; non